



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Contra vana hominum iudicia. 36

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

habere, quod multi post lachrymas & magnos labores, vix obtinuerunt? Exspecta Dominum, viriliter age, & confortare: noli diffidere, noli discedere: sed corpus & animam expone constanter, pro gloria Dei. Ego reddam plenissimè: ego tecum ero, in omni tribulatione. Psal. 26.

CAP. XXXVI.

Contra vana hominum iudicia.

Flli, † iacta cor tuum firmiter in Domino, & humanū ne metuas iudicium, vbi te conscientia pium reddit & insonem. Bonum est & beatum taliter pati, nec hoc erit graue humilicordi, & Deo magis, quàm sibiipsi confidenti. Multi multa loquuntur, & ideò parua fides est adhibenda. Sed & omnibus satis esse, non est possibile. Et si Paulus omnibus studuit in Domino placere, & omnibus omnia factus est: tamen etiam pro minimo duxit, quòd ab humano die iudicatus fuerit. Domi-
nus.

1. Cor. 9
Cor. 2.
Cor. 4.
Col. 1

2 Egit satis pro aliorum ædificatione & salute, quantum in se erat & poterat: sed ne ab aliis aliquando iudicaretur,

I s tur,

tur, vel non despiceretur, cohibere non potuit. Ideò totum Deo commisit, qui totum nouerat: & patientia ac humilitate, contra ora loquentium iniqua, aut etiam vana ac mendosa cogitantium, atque pro libitu suo quæque iactantium, se defendit. Respondit tamen *Act. 26* interdum, ne infirmis, ex sua taciturnitate generaretur scandalum. *Phil. 1.*

3 Quis tu, vt timeas à mortali homine? Hodie est, & cras non comparet. Deum time, & hominum terrores non expauesces. *2. Mach 2.* Quid potest aliquis in te verbis, aut iniuriis? Sibi potius nocet, quàm tibi: nec poterit iudicium Dei effugere, quicumque est ille. Tu *Rom. 2.* habe Deum præ oculis, & noli contendere verbis querulosis. Quòd si ad *1. Cor. 11.* præsens tu videris succumbere, & confusionem pati, quam non meruisti: ne indigneris ex hoc, neq; per impatientiam minuas coronam tuam: sed ad *Heb. 12* me potius respice in cælum, qui potens sum eripere, ab omni confusione & iniuria, & vnicuique reddere secundum opera sua.